

Audoysa iussa fuit, sicut ante promiserat, plenius respondere. Tunc ipsa Audoyza respondit, se procedere non posse, quia advocatum quem habuerat amisisset nec posset alium invenire. Curia vero intuitu pietatis eidem mulieri sufficientem tribuit advocatum, statuendo ei certum terminum, quo ecclesie responderet. Siquidem ipsa mulier et ante terminum et in ipso termino datum sibi advocatum recusavit, et alium se habere non posse asseverabat. Cui mulieri curia pro inveniendō advocato adhuc terminum dare voluit usque etiam alium diem, ut advocatum qui sibi placeret requireret. Ipsa autem Audoyza sua propria voce professā est, quia etiam dato termino advocatum omnino habere non posset. Quibus verbis mulieris auditis, quia manifesta eiusdem femine videbatur esse malicia, advocatum sibi datum a curia recusantis et pro alio inveniendō terminum sibi oblatum omnino recipere non volentis, quia fragilitati sexus muliebris et non malignitati feminee mentis legitima provisiōe constat esse succursum, ne sub velamine muliebris privilegii excusatione culpabili iuri et privilegio ecclesiastico derogetur, communicato consilio curia sententialiter interloquendo possessionem ipsius terre ecclesie assignavit et prefatum electum cum canonicis suis de ipsa possessione per fustem imaginarie investivit, donec ipsa mulier Audoyza sufficienter instructa se iudicio representet, parata sufficienter ecclesie respondere.

Ad cuius rei memoriam hoc scriptum iudicatus per manus Petri notarii precepto predictorum iudicum confectum est.

† Comes Rogerius qui supra.

† Ego Robertus imperialis iustitiarius.

† Ego qui supra Persicus iudex.

† Falco imperialis iudex.

† Ego qui supra Mazulinus iudex.

† Sarracenus protoiudex Brundusinorum.

S. Nicola zu Bari.

G. Petroni, Della storia di Bari 313 wollte die Entscheidung, die Eugen, der Sohn des Admirals Johann, am 20. August 1196 fällte, als 31. seiner Dokumente abdrucken lassen. Die Veröffentlichung unterblieb, und damit ist denn auch das eingerückte Schreiben des Legaten Konrad bisher nicht bekannt geworden. Das Original beruht im Archiv von S. Nicola. Da dessen Vorsteher aber zur Zeit verreist war, — wie es in Italien üblich ist: zugleich mit